

multoque minus prædeterminare aut prædestinare illa, ut in libr. 3 ostensum est. Ergo si verba Sapientis comprehendunt etiam pravos reges, et prava consilia et decreta illorum, non intellexit Deum inclinare corda prædeterminando, sed aliquid aliud operando, vel operari sinendo, juxta materiæ capacitatem. Et ita Augustinus, ex illo et aliis testimoniis quæ congeserat, ita concludit: *His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona, pro sua misericordia, sive ad mala, pro meritis eorum.* Quod ultimum verbum non potest intelligi de prædeterminatione, tum propter absurditatem sententiæ, tum quia, si determinaret voluntatem ad malum, non semper id faceret propter demeritum, sed sua tantum voluntate, ut in libro etiam tertio ostensum est; tum denique quia in fine capituli ait Deum id facere *per Angelos bonos, vel malos, sive quocumque alio modo operando in cordibus malorum, pro meritis eorum.* Si autem Deus prædeterminat voluntatem hominis, certe id non facit variis modis, sed uno et determinato modo, neque facit per Angelum bonum vel malum, sed per seipsum. Angeli enim operantur in cordibus immittendo cogitationes, et per illas excitando affectiones; ergo si Deus per Angelos inclinatur voluntatem, non inclinatur prædeterminando; ergo etiam quando per seipsum inclinatur, non oportet ut id faciat prædeterminando, sed in bonis, ut dixi, congruas cogitationes immittendo, quæ per se et cum effectu in bonum a Deo intentum inducant; in malis autem, vel operando ea quæ per se bona sunt, cum præscientia quod ipsi male sint eis usuri, vel permittendo, ut mali Angeli eos ad malum inducant.

8. Et per hæc responsum ad alia loca quæ, per se spectata, nullam habent difficultatem; nam facile potuit Deus tribui Judæ dare cor unum, congrue totum illum populum excitando et movendo, ut infallibiliter regi consentiret, et tamen libere et sine prædeterminatione, licet non sine adjutorio divino consentiret. Et ita Augustinus, libr. 1 contra duas epistolas Pelagianor., cap. 2, ex his et similibus locis nihil aliud quam efficacis gratiæ auxilium colligit. Et similiter exponit locum Esther, nam eodem modo potuit Deus sine prædeterminatione convertere in mansuetudinem cor Assueri, per cognitiones menti et phantasiæ objectas, et excitando bonum et magnum affec-

tum in cor ejus erga Esther. Unde cum ipsa Esther, cap. 14, petisset: *Converte consilium eorum super eos*, statim subjicit: *Tribue sermonem in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius.* Nam quia illa mutatio non per coactionem, vel necessitatem, nec certe per physicam prædeterminationem, sed morali modo faciendâ erat, petit sermonem compositum, id est, aptum et accommodatum ad movendum cum effectu cor regis, adjuvante Deo interius, rationes congruas proponendo, et affectiones aptas ad persuasionem excitando. Alter vero locus ex Ecclesiaste eandem habet responsionem, etiamsi intelligamus opera justorum dici esse in manu Dei, eo quod ex ejus liberali gratia et prædeterminatione pendent, quia nihilominus non pendent ex prædeterminatione, sed ex præmotione et vocatione congrua, vel generaliter ex Dei speciali providentia et ordinatione, ut Hieronymus ibi insinuat, qui non solum de operibus bonis, sed etiam de malis pœnæ quæ justis patiuntur, verba illa interpretatur, quia omnia justis eveniunt juxta divinæ providentiæ dispositionem. Potest etiam ille locus aliis modis exponi de operibus justorum, quia, licet magna circumspectione ab eis fiant, in manu Dei sunt, id est, in ejus potestate, et judicio, et trutina, et ipsos justos latet qualia sint, et ideo nesciunt an amore vel odio digni sint. Et aliis modis hic locus exponitur, sed prior expositio nobis sufficit, estque responsio dicta præ oculis habenda, quia multa similia loca per illam exponuntur, de quibus consuli potest Augustinus dicto libr. de Grat. et liber. arbitr., c. 20 et 41.

9. *Tertio, ex efficacia, et omnipotentia divinæ voluntatis.*—Tertius locus argumentandi est ex efficacia et omnipotentia divinæ voluntatis, ita enim dicit Deus per Isaiam, cap. 46: *Judicium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet; et in Psalmis dicitur: Omnia quæcumque voluit fecit, utique, quæ absoluta voluntate voluit, de qua etiam dicitur Esther 13: Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ.* Et similia sunt in Scriptura frequentia, ex quibus tale conficitur argumentum: Decretum divinæ voluntatis semper antecedit deliberationem voluntatis humanæ, quia illud est æternum, hoc temporale; illud est causæ primæ, a qua pendet et determinatur omnis effectus causæ secundæ; sed decretum Dei illud est efficacissimum, nec illi valet resistere humana voluntas; ergo semper præ-

determinat voluntatem, vel per seipsum, propter naturalem subordinationem et subjectionem humanæ voluntatis ad divinam, vel per motionem aut qualitatem aliquam, quam per suam omnipotentiam potest voluntati humanæ imprimere, ut suum decretum infallibiliter exequatur. Ergo in hac prædeterminatione ponendum est auxilium efficax, quia illa semper est efficax, et sine illa nullum auxilium potest esse efficax magis quam sine divina voluntate.

10. Respondetur quatuor catholica dogmata ad Deum pertinentia in illis testimoniis contineri, de quibus nulla potest inter catholicos esse controversia. Primum, consilium divinum semper stare, id est, nec deficere, nec frustrari posse, quia semper est prudens et rectum, et in scientia certa et infallibili fundatum. Secundum est voluntatem divinam efficacem et absolutam semper impleri. Tertium, quod est præcedentis fundamentum, in manu omnipotentia divinæ omnia esse constituta. Quia enim Deo *subest cum voluerit posse*, et quia nihil absolute vult nisi prudentissimo consilio, habensque in thesauris scientiæ et potentiæ suæ, media quibus possit infallibiliter exequi quidquid absolute vult, ideo talis omnis voluntas ejus infallibiliter fit. Quartum dogma est neminem posse resistere tali voluntati divinæ, quod sequitur ex duobus præcedentibus; nam si posset quis resistere voluntati Dei, posset efficere, in voluntas Dei non impleteretur. His addi debent alia ad hominem pertinentia, qualia sunt, primo, divinæ voluntatis efficaciam, et omnipotentiam non auferre, neque impedire humanarum operationum seu electionum libertatem; secundo, sæpe executionem divini consilii ac decreti pendere a libertate hominis. Tertium est ea quæ a Deo decreta sunt, ut per liberum arbitrium fiant, non fieri ab eo inevitabiliter, simpliciter et absolute loquendo; quia quod est inevitabile non est liberum, ut ex terminis per se notum videtur; quia quod evitari non potest sub humanam potestatem non cadit, ac subinde nec sub libertatem. Quartum est, voluntatem Dei decernentem de actibus a libero arbitrio præstandis, non auferre veram et proximam potentiam ejus ad agendum et non agendum, quia hæc est necessaria ad actus libertatem, ut in prolegomeno primo probatum est.

11. Cum ergo hæc nobis omnibus communia esse debeant, etiam difficultas dictorum testimoniorum omnibus communis est. Unde quidam illis oppressi negant posse Deum prædefinire absolute et efficaciter actus voluntatis

humanæ in particulari et cum omnibus circumstantiis, ejus salva libertate, quod nobis nullo modo probari potest, ut alibi ostendimus, et in hoc opere sæpe diximus. Suppositis ergo decretis præfinitibus ad intra, quia nobis illa testimonia objiciunt, putant non posse mandari executioni efficaciter, nisi per prædeterminationem ad extra, quæ talis sit ut, illa supposita, non relinquat in humana voluntate potestatem aliter volendi quam a Deo decretum sit, quia hoc putant necessarium ut non possit resistere voluntati divinæ. Sed non possunt nobis explicare quomodo talis voluntas maneat libera ad operandum, si ad unum prædeterminatur, et privatur potestate aliter operandi. Unde (quod majus est inconveniens) ipsa voluntas divina sibi ipsi repugnaret, volendo ut humana voluntas operetur sine libertate, id est, sine potestate aliter volendi. Nos autem dicimus decretum Dei non auferre a voluntate potestatem simpliciter aliter volendi aut operandi, etiam tali suppositione posita, quia non est decretum ita antecedens quin supponat præscientiam conditionatam futuri consensus liberi, si tali vocatione voluntas hominis præparetur et adjuvetur. Et consequenter negamus ad efficientiam talis decreti, esse necessarium et accommodatum medium, voluntatem prædeterminare ad unum, sed potius illam ita dirigere, ut infallibiliter faciat quod Deus decrevit, et hoc satis esse ut consilium Dei stet, et omnis ejus voluntas fiat, et ut in voluntate humana non sit potestas resistendi divinæ, quia nunquam valet ad effectum perducere oppositum ejus quod Deus decrevit. Quod totum provenit ex divina omnipotentia cum infinita sapientia conjuncta, et non repugnat libertati, quia supponit illius usum prævisum, et ad illum dicit formalem vel virtualemente habitudinem, ut explicatum est, et iterum in capite penultimo hujus libri dicitur.

CAPUT XXX.

AN SCRIPTURA DICAT DEUM DARE NOBIS VELLE PROPTER PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM.

1. *Quartus locus, ex his quibus dicitur Deus non solum dare posse, sed etiam velle, vel agere.*—Quartus locus argumentandi sumitur ex his Scripturæ testimoniis, in quibus dicitur Deus in operibus pietatis non solum dare posse, sed etiam velle, vel agere. In quo puncto præcipue ponderantur verba Pauli Rom. 4,

ubi de promissione facta Abrahæ: *Sic erit semen tuum*, ait: *Ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio*; et infra subjungit: *Confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quod promisit, potens est et facere*; quæ verba ponderans Augustinus, libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 10, ait: *Quando promisit Abrahæ in semine ejus fidem gentium, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturum erat, non quod homines*, etc. Quæ late prosequitur D. Thomas, etiam super Paulum; imitatus Augustinum ait: *Ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio, non quidem per operationes hominum, quæ possunt deficere, sed secundum gratiam, quæ infallibilis est*. Est ergo argumentum Pauli et Augustini: Dei promissio est certa ex his quæ ipse facturus est, non quæ homines; sed Deus promisit fidem gentibus in Abrahamo; ergo ipse est qui facit illam; non ergo dat tantum posse credere, sed etiam credere.

2. Atque ita videmus impletum in illa Lydia purpuraria, de qua dicitur Actor. 16: *Deum aperuisse cor ejus intendere his quæ dicebantur a Paulo*; nam aperuisse cor nihil aliud significat quam illi dedisse credendi voluntatem. Et similiter Actor. 13, ubi de gentibus dicitur: *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam*; quod perinde est ac si diceretur: *Crediderunt qui erant prædestinati*, ut secundum gratiam firma sit promissio. His consonant verba Christi Joan. 5: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Ubi audire idem est quod obedienter audire, et suscipiendo fidem. Et hoc tribuitur determinationi provenienti ex divina prædestinatione, nam ob fidem non potest quis dici esse ex Deo, nisi secundum prædestinationem. Præterea hoc confirmatur ex illo Joan. 18: *Sicut palme non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in me manseritis*; juncto illo Roman. 11: *Non tu radicem portas, sed radix te*. Quibus verbis significatur, sicut fructus palmitis totus est ex virtute vitis, ita omnem pietatis fructum seu actum esse ex gratia efficaci determinante tempus, modum, et qualitatem fructus. Et eodem modo solent hic induci testimonia omnia quæ sunt de necessitate gratiæ, ut Joann. 15: *Sine me nihil potestis facere*; 2 Corinth. 3: *Non sumus sufficientes cogitare*, etc.; et ad Hebr. 13: *Deus pacis aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placitum est coram se*.

3. *Respondetur ad loca Scripturæ*. — Ad hæc omnia uno verbo responderi potest, illis recte probari necessitatem auxilii efficaci ad credendum, vel pie operandum, non tamen probari modum efficiaciæ per prædeterminationem, quia alio modo suaviori et magis consentaneo divinæ providentiæ, et satis efficaci, et infallibili, fieri et impleri possunt. Ut autem hoc evidentius fiat, adverte duo tangi in his testimoniis. Unum est Deum non solum dare posse efficere opera pietatis, sed etiam dare ipsum facere, seu ipsa opera. Aliud est non solum dare ipsa opera eo tempore quo fiunt, sed etiam in priori tempore illa promississe, et in æternitate prædestinasse. Et utrumque horum verissimum et certissimum est, ex neutro autem recte vel apparenter colligitur prædeterminatio. Nam si illud primum præcise spectetur, ex eo sufficienter verum invenitur, quod ad opera gratiæ Deus non solum dat dona supernaturalia, quibus homo fit potens ad talia opera efficienda, sed etiam, cum illa fiunt per eadem dona, influit actu in eadem opera, ac deinde per seipsam, et per generale concursum ordinis gratiæ, physice ac immediate efficit in nobis et nobiscum eadem opera, quæ omnia subsistere possunt sine prædeterminatione, ut per se patet, et satis superque sunt, ut Deus dicatur dare nobis talia opera, vel illa efficere in nobis. Ut enim hoc verissimum sit, non est necesse ut solus Deus illa opera faciat in nobis, ut ex fide constat; ergo faciendo illa nobiscum, vere facit illa; quin potius, licet Deus faceret in voluntate hominis præviam determinationem in actu primo, ex vi illius non diceretur per se et proprie facere ipsum velle, nisi alio modo immediate influeret in ipsummet actum; ergo e contrario, etiamsi non det talem determinationem, si dat supernaturalem virtutem, et cum illa per se et immediate facit ipsum opus influxu quodam gratuito et supernaturali, vere facit in nobis talia opera. Quocirca ex vi hujus prioris locutionis, quod Deus facit in nobis ipsum velle, non inferitur nec probatur aliud auxilium efficax nisi simultaneum, nam hoc est per se ac simpliciter necessarium, quia efficiaciæ actus pii in ipso et per ipsum consummatur, et ideo ex tali efficiaciæ præcise spectata, non solum non prædeterminationis, verum etiam nec alicujus prævenientis auxilii efficiaciæ, necessitas colligitur, nisi aliunde ostendatur.

4. Aliud vero principium in illis testimoniis contentum, optime ostendit esse necessarium

auxilium efficax præveniens, quo Deus impleat fidei aut piorum operum promissionem et prædestinationem, non tamen probat hoc auxilium debere esse physice prædeterminans, quia ut divina promissio et prædestinatio infallibiliter impleatur, vocatio efficax seu congrua, prout a nobis explicata est, sufficit; et, ut per actus libere factos sicut ordinata est fiat, necessarium est ut, non per physicam prædeterminationem, sed per auxilium, cui, secundum se spectato, voluntas hominis possit resistere, impleatur, sicut per vocationem congruam fit. Neque ex posteriori testimonio aliquid amplius colligunt Sancti Patres; nec verbum *prædeterminandi*, aut æquivalens in eis invenitur, sed solum docent Deum non promittere ea quæ homo ex se suisque viribus facturum est et industria, sed ea quæ ex peculiari Dei auxilio, præparatione, et indeclinabili directione recipiet ac faciet, et hoc modo dat Deus, per vocationem congruam, fidem et pia opera quæ promisit. Non enim ita illa promisit, ut non sint homines ea facturi, nam hoc ipsum in promissione includitur, sed (ut Augustinus citato loco dixit) *quia etsi faciant homines bona quæ ad colendum Deum pertinent, ipse facit ut illi faciant*; hoc autem facit Deus per vocationem congruam, ut sæpe est dictum, et mox amplius explicabimus.

5. *Verba illa esse ex Deo, quomodo intelligenda*. — Ex testimoniis autem secundo loco adductis, primum, in quo Christi verba afferuntur: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, non oportet ita intelligi, ut *esse ex Deo*, sit esse prædestinatum, quia fortasse multi tunc non credentes erant prædestinati; tum etiam quia causa non credendi non potest in Deum non prædestinantem refundi, ideoque altera causalis: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, vel in rigore falsa, vel improprissima esset. Igitur, *esse ex Deo*, est adhærere Deo, et regi spiritu ejus, juxta illud Roman. 8: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Unde, e contrario, illi dicuntur ex Deo non esse, qui Deo non adhærent, nec motiones ejus sequuntur. Sicut ibidem isti qui non sunt ex Deo, dicuntur esse *ex diabolo*, non prædestinatione aut reprobatione, sed prava ipsorum voluntate. Ita ergo dicuntur non esse ex Deo, quia sua voluntate ei resistunt, et diabolo adhærent; ergo, e contrario, dicuntur esse ex Deo, qui divinam inspirationem sequuntur, et ideo Ammonius Leontius, et Theodorus, apud Maldonatum, ibi dixerunt hominem esse vel non esse ex Deo, *non natura, sed electione*. Ex quo vero

sensu tantum abest ut physica prædeterminatio colligatur, ut potius libertas in obtemperando vel resistendo gratiæ prævenienti stabilietur.

6. Quia vero Augustinus, tract. 42, secundum prædestinationem locum illum interpretatur, respondemus etiam hunc sensum non obstare nostræ sententiæ (quidquid sit an literæ quadret), quia licet donum fidei ex prædestinatione procedat, illa prædestinatio per vocationem congruam impletur, non per prædeterminationem physicam. Potest autem illa prædestinatio aut esse simpliciter ad æternam salutem, si fides viva sit usque ad finem vitæ permansura, vel tantum secundum quid per quamdam prædestinationem ad fidem solam, vel ad credendum aliquando, si fides sit temporalis. Si autem altera pars: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, ad carentiam electionis ex parte Dei referatur, non potest sumi in sensu causali, quia Deus nullo modo est causa incredulitatis; dicit ergo solam consecutionem secundum præscientiam, ut etiam idem Augustinus exponit.

7. *Respondetur ad loca ex Actibus desumpta*. — Ad loca ex Actibus desumpta, fatemur in priori de Lydia indicari efficiaciæ prævenientis gratiæ, illam vero dicimus fuisse per divinas illuminationes et inspirationes illi feminæ congruentes. Et ita Prosper, lib. de Vocat. gent., cap. 23, alias 8, nihil aliud ex illo loco colligit, *nisi fidem esse ex inspiratione divina*. Alter vero locus de præordinatis ad vitam æternam varie exponitur, sed nunc damus sermonem esse de prædestinatis, ut sensit Prosper, in epist. ad Ruffinum. Intelligendum vero est vel simpliciter ad vitam æternam, sive secundum quid ad credendum, ut sentit Chrysostomus, homil. 30, exponens *præordinati, id est, præfiniti a Deo*; non enim oportebat omnes, qui tunc crediderunt, fuisse prædestinatos ad gloriam, neque etiam omnes prædestinatos qui ibi aderant, tunc credidisse; crediderunt ergo qui pro tunc prædestinati erant ad credendum. Illa autem prædefinitio potest exponi, ut solum denotet æternam antecessionem, etiamsi non fuerit ante præscientiam absolutam futuræ determinationis voluntatis, vel potest intelligi de prædefinitione ante præscientiam absolutam futurorum; quem sensum etiam concedimus, et nihilominus nihil inde colligitur, quia illa prædefinitio non excludit conditionatam præscientiam futurorum, et ita per vocationem congruam executioni mandatur. Cætera vero testimonia sine

causa allegantur; probant enim humanam voluntatem sine auxiliis gratiæ nihil valere ad opera pietatis, nec posse illam inchoare, nisi gratia præcedat et incipiat; inde tamen nulla probabilitate inferri potest voluntatis libertatem obtundi, seu prædeterminari per gratiam, aut hoc esse necessarium ad opera pietatis, vel simul esse posse cum eorum libertate. Neque Augustinus vel alii Patres in illo sensu his testimoniis utuntur, sed tantum ut necessitatem gratiæ ante omne meritum persuadeant. Et specialiter verba ultima Pauli ad Hebræos indicant modum quo Deus in nobis facit quæ illi sunt placita, *aptando nos in omni bono*, per vocationem utique congruam, ut supra explicatum est.

CAPUT XXXI.

AN SOLI DEO TRIBUANTUR IN SCRIPTURA OPERA PIETATIS PROPTER PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM.

1. Quintus argumentandi locus, ex locis quibus hominis salus, et omnia opera quæ ad illam conferunt, soli Deo tribuuntur. — Quintus argumentandi locus ex illis testimoniis sumitur, in quibus hominis salus, et omnia opera quæ ad illam conferunt, soli Deo tribuuntur, vel in sola ejus voluntatem revocantur. Præcipuum testimonium est illud Roman. 9: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; et ibidem: *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat*. Ubi totum tribuitur voluntati Dei, quod non potest alia ratione fieri, nisi quia voluntas ejus sola est quæ voluntates humanas determinat. Aliud testimonium vulgatissimum, est illud 1 ad Corinth. 4: *Quis enim te discernit? Ubi significat Paulus Deum solum esse qui justum a peccatore discernit, determinando utique illius voluntatem ad bonum; propter quod ei etiam dicitur: Quid habes quod non accepisti? Ex his enim locis sæpe probat Augustinus hanc discretionem esse ex sola misericordia, non ex hominum libertate, præsertim quæst. 2 ad Simplician., et lib. de Prædestinat. Sanctor., capit. 4 et 5. Tertium testimonium huic loco accommodatum, esse potest illud Jerem. 10: *Scio, Domine, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos*. Ex quibus testimoniis ita solent argumentari propugnatores prædeterminationis physiciæ: In operibus gratiæ totum est tribuendum Deo; sed non potest tribui totum Deo, nisi ratione physiciæ prædeterminationis; ergo. Major patet ex dictis testi-*

moniis, præsertim ex illo: *Non est volentis*; ideo enim negatur homini ut totum Deo tribuatur; quia, ut dicitur 1 Corinth. 12: *Omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*. Et idem probant multa ex superius tractatis, et ita etiam loquuntur Patres, præsertim Augustinus et Anselmus, quorum testimonia postea tractabimus. Minor autem probatur, quia, cum sit certum hominem per liberum arbitrium concurrere ad opus pietatis, nihilominus dicitur totum esse Deo tribuendum; ergo id esse non potest, nisi quia concursus voluntatis humanæ reducitur in divinam prædeterminantem illam. Item quia, licet voluntas humana proxime operetur, tamen ultima resolutio fieri debet in divinam voluntatem; vult enim homo, quia Deus vult ut velit; ergo quia prædeterminatur. Denique hoc sensu ait Paulus: *Non est volentis, neque currentis*, non quia ipse non velit, sed quia quod velit non est imputandum illi, sed gratiæ prædeterminanti. Alioqui si quod velit homo ipsi in suo genere ultimate attribueretur, sicut dicitur: *Non est volentis, sed Dei miserentis*, quia in uno genere Deus incipit, et ita dici poterit non esse Dei miserentis, sed hominis volentis, quia in alio genere liberum arbitrium est ultima ratio se determinandi. Quo argumento utitur fere Augustinus in Enchirid., cap. 32.

2. Sed hæc testimonia ad summum probant necessitatem divinæ præmotionis, et congruæ vocationis, gratuito et ex voluntaria electione et prædeterminatione collatæ. Unde in memoriam revocanda est distinctio supra data, de duplici ordine sub quo possunt hæc opera pietatis et gratiæ considerari, scilicet, sub ordine executionis et prædeterminationis. Priori modo, certum est talia opera non esse a sola gratia, nec a solo libero arbitrio, sed ab utraque, juxta illud Augustini, serm. 15 de Verb. Apost., capit. 11: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt*. Posteriori autem modo omnia in solum Deum ejusque voluntatem reducuntur. Qua doctrina supposita, facile dicta testimonia intelliguntur, et argumento ex illis formato satisfit.

3. Hæc verba, *Non est volentis etc.*, de executione ipsa intellexisse videtur Nazianzenus. — Quod ergo attinet ad verba Pauli: *Non est volentis, etc.*, Nazianzenus, orat. 31, de executione ipsa intellexisse videtur, et ideo exposuit: *Id est, non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam Dei miserentis*. Et subdit: *Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure*

totum Deo assignavit. Contra hanc vero expositionem objicit Augustinus in Enchirid., capit. 32, quia eadem ratione dicere possumus: *Non est Dei miserentis, sed hominis volentis* subintelligendo *solius et etiam*, quia non est solius miserentis Dei, sed etiam volentis hominis: id autem admittendum non est; aliquid enim singulare voluit Paulus misericordiæ Dei tribuere, ut ex contextu manifestum est. Addit ergo et recte Augustinus: *Restat ut propterea recte dictum intelligatur: Non volentis hominis sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam*. Eandem doctrinam habet quæst. 2 ad Simplician., et concludit: *Non igitur ideo dictum putandum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed potius, quia sine ejus vocatione non volumus*. Et sic etiam dixit in lib. Proposit. epist. ad Roman., c. 61: *Quia neque velle possumus, nisi vocemur, ideo verissimum est miserentis Dei esse quod bene velimus et operemur*. Quod approbat l. 1 Retract., c. 23: *Sed parum, inquit, de ipsa vocatione disserui, quæ sit secundum propositum Dei, ac si diceret, ideo soli Dei miserenti tribui bonum velle, quia ex sola ejus misericordia vocatio congrua præcedit*. De qua intelligitur etiam ab eodem Augustino dictum l. 83 Quæstion., q. 69: *Licet quis possit sibi attribuere quod veniat, non talis tamen potest sibi tribuere quod vocatus sit*. Igitur, quia necesse est ut vocatio congrua præcedat, et hæc datur ex sola misericordia Dei, ideo soli Deo et misericordiæ ejus nostrum bonum velle attribuitur. Falsum ergo est non posse hoc soli Deo tribui, nisi quia prædeterminat hominis voluntatem, cum Augustinus doceat illi tribui, quia congruenter vocat, id est, quia excitat voluntatem hominis, sicut oportet ut illa consentiat. Et hanc expositionem declarat et confirmat optime D. Anselmus, lib. de Concord., q. 3, eujus verba infra in proprio capite latius tractabimus.

4. Adde præterea quod verba Pauli, etiam secundum ordinem executionis intellecta, non excludunt quin libertati voluntatis tribuenda sit conversio in suo genere, et ut proximæ causæ, sed docent non ita tribuendam esse voluntati, sicut gratiæ, quod neque Nazianzenus negavit, ut infra ostendam, et Anselmus his verbis declaravit: *Licet justitia servetur (vel recipiatur) per liberum arbitrium, non tamen tantum est imputandum libero arbitrio quantum gratiæ, quoniam illam liberum arbi-*

trium, non nisi per gratiam prævenientem et subsequentem, habet et servat. Non est ergo propter gratiam prædeterminantem, sed propter prævenientem, id est, propter vocationem, ut Augustinus dixit, et propter subsequentem principaliter cooperantem. Quamvis, loquendo secundum ordinem prædeterminationis et electionis gratiæ, multo magis tribuatur voluntatis consensus soli Deo, faciendo ultimam resolutionem in ipsum. Consentit enim voluntas cum adjutorio gratiæ, quia prius vocata est congruenter per solam gratiam; ideo autem sic vocata est, quia illam Deus elegit, vel ad salutem, vel ad fidem, aut poenitentiam; ideo vero illam elegit, quia voluit, juxta illud: *Misererebor cujus miserebor, et misericordiam præstabo cujus miserebor*. Et ita, sicut supra ostensum est, ob prædeterminationem non esse necessariam prædeterminationem, quia per vocationem congruam sufficientissime et accommodatissime impletur, ita, ut ultima resolutio in divinam voluntatem eligentem fiat, et ea ratione dicatur, non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis in sua æterna dilectione, non est ergo necesse ut per physicam prædeterminationem tollatur a voluntate humana indifferentia quam habere debet, prius natura quam se determinet, sed oportet solum ut voluntas sic indifferens congruenter vocetur et excitetur, ut cum adjutorio gratiæ comitante infallibiliter se determinet.

5. Et hæc responsio applicanda est ad secundum testimonium de discretionem inter eum qui gratiæ consentit, et eum qui resistit; nam si resolutio fiat ad ordinem divinæ intentionis, sic fuit ex sola misericordia Dei, huic potius quam illi vocationem ex proposito seu congruam præparare; in usu autem et executione conjungi necessario debet libertas arbitrii; iste enim consentit, quia nunc vult pro sola sua voluntate. Et similiter inter justos iste est sanctior quam ille, quia pro sua libertate magis conatur cum adjuvante gratia, licet hic major conatus ex divina electione media congrua vocatione descendat. Et ita utrumque conjunxit Concilium Trident., sess. 6, c. 7, dicens: *Unumquemque accipere justitiam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem ac cooperationem*. Et sic etiam verissimum est quod Paulus in citato loco 1 Corinth. 4, intendit, neminem scilicet discerni ab alio, nisi per ea quæ accepit, quia, licet ex adductis unus non discernatur ab alio, nisi per liberam suæ indiffe-